



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Regvla Morvm Sive Tractatvs Bipartitvs De Sufficienti Ad  
Conscientiam Rite Formandam Regvla In Quo Usus  
Cujusvis Opinionis Practice Probabilis Convincitur Esse  
Licitus**

**Terillus, Antonius**

**Leodii, 1678**

Præfatio Ad Lectorem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77827](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-77827)

# PRÆFATIO AD LECTOREM.

**D**OCTRINA de Morum regulâ, si quæ alia, & in se nobilissima est; & nobis maximè necessaria. Nobilissima quidem ob materiae subtilitatem & excellentiam; nobis verò utilissima, ob conscientiæ quietem & securitatem, quam regula recte & rationabiliter constituta parit; maximè quando communis, imò & unanimis omnium peritorum consensus eandem approbat. Optimè proinde hac ex parte, à paucis annis, agebatur cum Republicâ Christianâ, quando Doctores omnes cum summâ conscientiarum quiete in unam eandemque de sufficienti conscientiæ regulâ sententiam conveniebant. Sed, proh dolor! in re tanti momenti, in quam omnes omnino, futuris etiam temporibus, ut par erat, consentire debebant, gravissimæ opinantium dissensiones, non ita pridem exhortæ, conscientiarum pacem turbaverunt. Nec turbarunt tantum, sed eisdem aliqui scriptis suis etiamnum turbare pergunter. Quod, cùm ita sit, è re omnium judicavì fore, si ante disputationem inchoatam, brevem de celeberimæ, jāmq̄ ore omnium agitatae, circa licitum probabiliorum usum, controversiæ ortu & progesu historiam attezam. Res ergo ita se habuit.

Ante annum hujus saeculi 1638. omnes Authores, omnesque Ecclesiæ Doctores unanimiter asserebant, cuique licitum esse in praxi sequi opinionem probabilem, quamvis illa esset minus tuta quam opposita, maximè si operans opinionem illam absoluto iudicio veram esse existimaret. Hoc evidenter constat ex innumerabilium Autorum scriptis, ante annum illum editis, qui omnes in hoc punto unanimiter convenient; neque enim vel unum à centum & amplius annis invenire erat, qui post quæstionem examinatam id in expressis terminis non tradiderat. Sed & Antiquiores Theologi faciem prætulerant; illi enim in eandem doctrinam antea conspiraverant, ut palam evinco quæst. 22. de Conscientia probabili, ubi propria singulorum verba, quibus ipsi mentem suam satis aperte exprimunt, attuli ac ponderavi. Hoc adeo certum est, ut nec ipsa invidia ullum Auctorem ante dictum annum haec tenus citare potuerit, qui veritatem hanc in dubium revocarit.

Porrò veritas hæc, & unanimis Authorum conspiratio eousque progressa est, ut omnes uno etiam ore docerent, licitum hominibus esse in praxi sequi opinionem quamcumque etiam minus tutam, modò illa motivo probabili confirmaretur, et si opinio contraria & tutor esset & probabilior. In hoc etiam Authores omnes convenient, unum si demperis Paulum Comitolum, virum ex Societate nostrâ, sed ob doctrinæ præstantis famam in mundo literario parum celebrem, qui anno 1609. edidit *responsa moralia lib. 7.* comprehensa, qui liber in 4. prodiit Lugduni apud Cardon. In hoc libro docuit, licitum non esse sequi opinionem minus tutam, quando opposita tutor creditur esse probabilior. Quo tamen non obstante, idem Comitolus expressè tenet, licitum esse sequi opinionem minus tutam, modò illa sit probabilior, aut certè non minus probabilis, quam opposita tutor. Hic erat status Controversiæ præsentis usque ad annum Domini 1638. in quo mortuus est Cornelius Iansenius, Episcopus Irenensis. Nam post ejus obitum liber ipsius, dictus *Augustinus*, editus est. Interca autem dum ederetur, Libertus Fromundus incepit ulum probabilitatum condemnare. Audiatur Caramuel in Apologemate, qui eo tempore præfens Lovanii erat, & narrat quæ ibidem tunc gesta sunt: audiatur inquam nū. 116. ubi hæc habet.

Eram Lovanius cùm jam mortuo Iansenio, Exsequatores Testamenti de clandestinâ ejus Augustini editione secretissimè deliberabant. Et D. Libertus Fromundus, inter bujus nova doctrinae affectas Coriphæus, ut viam super venturo aperiret errori, aut verius, ut illum,

\* \* 2

nihil

## P R A E F A T I O

nihil simile Academiae Doctoribus præsentibus, disseminaret, has propositiones: Probabilitatum usus, est res nova. Non potest non condemnari apud Deum, qui relinquens viam tutam insitit opinioni probabili. Opiniones quæ dicuntur aut sunt probabiles apud nos, non erunt probabiles apud Deum. Quæ, consideratæ Authoris intentione, equivalent huic: Ad securitatem Conscientia non sufficit opinio probabilis, conatus est in Scholam protrudere. Se opposuerunt viri Probi & docti; illumq; ego impugnari in Theologia Regulari, quam anno 1639. Brugis edidi. At postea, quando detecta larva, quod illa doctrina renderet, rimari licuit, uberior, fortiusque in secunda & tertia ejusdem Operis editione. Vide Diff. 6. art. 3. num. 60. 61. & 62. ubi probabilitatum usum esse antiquissimum, securissimum, & summè utilem conscientiarum puritati & solamini ostendo. Hactenus Caramuel.

Hic habes originem doctrinae & opinionis novæ, quæ afferit, nemini licitum esse sequi partem minus tutam, quamvis probabile sit illam non esse prohibitam; certum enim est, talem doctrinam antea à Scholis, ut fallam, exulasse. Itaque hæc Adversariorum sententia, unâ cum Iansenismo nata est, imò aliam matrem non agnoscit, quām hæresim Iansenianam; quia primi Assœclæ & Evulgatores Iansenismi, ideo cuderunt hanc opinionem, ut sic suos errores sub prætensiâ veritatis specie, ignorantibus facilius obtrudarent. Nec mirum: cùm enim hæresis Ianseniana doceat, aliqua Dei præcepta esse hominibus justis impossibilia, idque ex eo porissimum probare contendant Iansenistæ, quod Deus strictè exigat, ut homines omnia naturalia præcepta sub pœnâ damnationis æternæ re ipsâ impleant. Inde statim inferunt, ignorantiam, et si invincibilem, neminem excusare à peccato, si quidquam re ipsa fiat contra legem naturæ; adeoque neque ullam probabilitatem posse sufficientem excusationem afferre, modò quis reipsâ erret, & ponat illicet, quod Deus lege naturæ vetuit. Ecce Iansenismus necessariò infert, probabilitatem non excusare à peccato, saltem circa objecta, quæ jure naturæ sunt prohibita. Proinde rectè dictum est, hanc sententiam aliam matrem non habere, quām hæresim Iansenianam: Iansenismi enim Evulgatores, cùm viderent sua dogmata admitti non posse, nisi simul concedatur, quod opinio probabilis non excusat à peccato, simulque scirent, contrariam sententiam ut certam ab omnibus Scholis esse receptam, incœperunt usum probabilitatum dupli nominis criminari. Primò, quod qui probabilitatem lectatur, si erret in suo judicio, necessariò peccat. Secundò, quod nemo per opinionem possit esse tutus, quia formidat ne Deum offendat. Hæc porro cùm apud ignorantes, & infelios modi, quo conscientia ultimò formatur, plausibilia viderentur, ideo præ aliis evulgata fuere, ut homines jam alienati à priore persuasione, facilius admitterent doctrinam, quæ aliter admitti non poterat, quam priori persuasione damnata. Atque ita Iansenistæ fuso ornarunt turpem filiam, ut ita homines minus aversarentur turpissimam matrem.

Non multò post evulgatum Iansenii Augustinum, liber ille sub Urbano VIII. condemnatus est, tanquam continens doctrinas olim à Pio V. & Gregorio XIII. in Michaële Baio condemnatas. Verum non acquieverunt Iansenistæ, sed Bullam calumniati sunt, & eousque progressi, ut illam supposititiam fuisse clamarent. Interim dum lis etiam ista mitè servebat, contra Caramuelum, aliosque pia mentis Doctores, qui se contra nascentem hæresim murum pro domo Dei opposuerant, insurrexerunt Iansenistæ; atque eorum, aliorumque omnium communissimam doctrinam, de usu probabilitatum calumniati sunt, Romanique scripsérunt, ut Pontifex eorum audaciam retunderet. Horum primarius fuit D. Jacobus Boonem Mechliniensis Archiepiscopus, *Iansenistarum Coriphæus* (inquit Caramuel in suo Apologemate nu. 30.) qui Sedi Apostolice inobediens, & ab illâ punitus, totum turbavit Belgium.

Sed & Doctores Lovanienses anno 1655. censuras quasdam ediderunt contra usum opinionum probabilium; quas Fagnanus in cap. *ne innitaris, de Constit.* à paginâ 101. per sex columnas recitat. Verum, tunc Iansenistæ dominabantur Lovarii, inquit Caramuel in

## AD LECTOREM.

in Apologemate num. 36. Et hactenus quidem opinionem rigidam, nemini per Belgium, nisi Iansenistis, aut Iansenismo addictis, acceptam fuisse constat.

Hactenus vidimus quid per Belgum gestum sit. Quomodo rigida opinio ortum ac progressum habuerit, ac à quibus, quo animo inventa ac promota sit. Superest ut de ejusdem in Gallia ortu & progressu historiam texamus. Post divulgatum Iansenii *Augustinum*, liber ille in Gallias illatus, unà secum lamentabile Schisma in florentissimam Ecclesiam Gallicanam invexit. Plurimi enim, novitate Doctrinæ capti, in hæresim Iansenianam lapsi sunt, à quâ plures eorum, ne quidem post absolutam condemnationem Iansenismi, ab Innocentio X. latam & promulgatam, voluerunt recedere. Hinc post Iansenium ab Innocentio X. condemnatum, Iansenistæ in Gallia summo nisu insurrexere contra usum doctrinæ probabilis, unâque contra Societatem plurimas columnas sparsere, illamque infamare satagerunt; eo nomine, quòd doctrinas morales laxas, & animarum saluti periculoas traderet. Ecce Iansenistæ ubique sibi similes fuerunt. Quod enim ab initio per Belgum egerunt, hoc ipsum postmodum per Gallias factitarunt, ubique codem spiritu duci.

Quidam anno 1656. sub nomine Ludovici Montaltii in Societatem animosior, arrepto calamo totum ordinem diffamare aggressus est, libro edito, quem hoc titulo, *Epistole Provinciales* inscripsit. Liber hic, seu potius Libellus famosus, Iansenismo gravidus, (nam pro tali, & Romæ inter libros prohibitos affixus est, & Aquis-Sextiis authoritate Parlamenti, Carnificis manu flammis datus, quâ dignus erat luce, omnibus palam legendus, unâ & condemnandus apparuit) collectis, seu potius corrosis opinionibus laxioribus (quas sparsim apud aliquos reperire est) sed sèpè mutatâ etiam sententiâ, & corrupâ doctrinâ, in illas centuram tulit, simulque totam moralem doctrinam Societatis damnavit, quasi illa non aliud esset, quâm opinionum noxiarum, scandalosatum, & tranquillum reipublicæ statum perturbantium congeries.

Porro Liber hic continet Epistolas 18. ad quem numerum paulatim excrevit, nam non omnes simul prodierunt, verum omnes octodecim ab Alexandro VII. damnatae sunt anno 1657. 6. Septembris; & septemdecim primæ (nam decima-octava nondum erat edita) eodem anno 9. Februario publicâ authoritate Aquis-Sextiis flamnis condemnatae, manu Carnificis in ignem conjectæ, publicè, uti præfatum est, arserunt.

Iam libri hujus authorem Iansenismo addictum fuisse nemo negare poterit, qui sciat quid sit Iansenismus, & librum legerit. Eò enim totus ejus labor collimat, ut ostendat, Deum ipsis Iesu impossibilia præcipere, illisque vires denegare, quibus possint, et si vellint, perseverare. Quæ blasphemia vere horrenda in Deum conjecta, omnes Probos & Doctos adeo percudit, ut nemo non judicaret, librum tam perniciolum omnium oculis interdicendum esse. Hinc ultra fulmina superiùs recensita, statutum est, ne Parisiis imprimerentur hæ litteræ. Interim Montaltii liber à Iansenistis, & Iansenismo addictis, miris laudibus efferebatur, & in varias linguas traductus, ubique distractus, & ultrò donatus ac obtrusus fuit, ingemisce meliore, & optimâ Christianitatis parte. Et quis non gemiceret, videndo hæreses, fucato prætextu veritatis, & simulatae fidei zelo, mulierculis & rudibus obrudi, qui, ut moris est, avidè abrepti cupiditate noscendi infames calumnias, quas Author, Sorbonæ, Dominicanis, & maxime Iesuitis, (in quos acerbissimè invehitur) imponit, dum sales, & lepida diateria incaute lambunt, hærefoes venenum & scandali toxicum hauriunt.

Quod si queras, quis tandem fuerit iste Montaltius? ipse de se ipso fatetur *Epistola 8.* se nec Ecclesiasticum esse, nec Doctorem, aut Theologum; ex quo certè appetet, quâm parvam suis dictis in materiâ Theologicâ authoritatem conciliare potuerit. Sed & ipse tandem, Deo favente, suos errores agnoverit, eosque integro ante mortem biennio ex animo condemnavit, eò quòd videret, opiniones illas ex nimia passione & arreptas & defensas fuisse. Testatur hoc Pater Franciscus Annaeus in *Notis ad epistolam dedicatoriam Iansenii*,

## P R A E F A T I O

*in libri ipsius editione suppressam*, quas Gallico idiomate an. 1666. edidit, assertique se hoc scivisse ex authentico testimonio illius, qui Montaltio (quicunque tandem is fuerit) morituro astitit, illumque ad supremam vitæ periodum feliciter terminandam juvit. Gratulor proinde Ludovico Montaltio, illique ex animo requiem æternam exopto.

Litteræ ergo istæ, non alio jam quam authentico publicæ infamiae sigillo notatae, ab omnibus bonis Catholicis solâ flamarum luce dignæ habentur; quod verum est, sive illas secundum se nudas consideres, sive illas spectes notis illustratas: nam quicumque illustrare & ornare studer libros, publicâ authoritate propter errores, quibus scatent, prohibitos, haud dubiè culpandus est. Ad hanc classem reducendus est Guilhelmus Wendorckius, quicunque tandem ille sit, qui latinas reddidit Epistolas, easque notis illustratas jam tertio edidit. Ille enim Montaltium defendit, & longè majorem animositatem in Iesuitas, quam ipse Montaltius ostendit. Vix enim duas aut tres lineas evolves, in quibus plura scommata contra Societatem non invenies. Potò Wendorckius iste, mirè etiam in usum opinionis probabilis insurgit, in hoc Montaltium imitatus. Hæc ideo à me dicta sunt, ut Lectio sciat, quales fuerint Authores, à quibus novum dogma, quod à Scholis omnibus exulaverat, inventum est.

Post Epistolas Provinciales evulgatas, plures Parochi Rothomagenses, & inde Parisienses etiam complures, aliquique nonnulli, in doctrinam moralem Societatis insurrexerunt, & nominatim contra usum Probabilitatum vehementius exclamârunt. Horum clamores videre licet apud Fagnanum *in cap. initiaris nu. 336.* Præterea Parochi isti etiam contra Caramuel & Malcarenham invecti sunt, qui palam contra Iansenium docebant, ignorantiam invincibilem juris naturalis à toto excusat, ut refert Caramuel *num. 2.* cùm ipsi contrariam sententiam tenerent, quæ illorum opinio efficaciter infertur ex hæresi Iansenianâ, uti suprà ostensum est.

Hactenus breviter narravi ortum & progressum sententiæ, quam *in tractatu de Conscientia probabili* fuisse refutavi, atque hic etiam ulterius confutandam suscepi. Æquitas autem, aut potius necessitas ad hanc historiam operi huic præfigendam induxit. Cùm enim sermo sit de probabilitate opinionum, earumque delectu; quæ autem, quanta, & qualis probabilitas cuicunque opinioni ab omnibus propter authoritatem Scriptorum tribuenda sit, aliundè determinari non possit, quam à doctrina & probitate Authorum; necesse omnino est ipsam radicem & originem pullulantis opinionis contraria eruere. Si enim constiterit, eam animo alieniore, aut passione aliquâ mentem turbante, scripto traditam, typisque mandatam fuisse; si certum sit, eandem non dissimili impetu, hodiisque in animis quorundam conservari, eisdemque studiis, & quasi factiosis progressibus Discipulorum mentibus imprimi; si contraria & communis omnium Scriptorum sententia, quasi Societati propria, in ludibrium Ordinis & contemptum doctrinæ, buccis crepantibus, ab Adversariis animosè deprædicari notum fiat; eo ipso Authorum illorum autoritatem languere, & ad probabilitatem suis assertis conciliandam parum aut nil momenti habere, certum erit; quia evidens præsumptio est, eos ex passione, & impetu mentem turbante, non ex sincero veritatis studio, ac ut viros peritos & probos decet, sententiam suam protulisse. At hic est calus noster: nam veritatem hac in re testatam, res non clamculum gestas, sed historiam ante Mundi fermè totius oculos exhibitam refero; evidens enim est, & flens dico, primos authores, aciores Fautores & seduliores Promulgatores oppositæ doctrinæ (Pauculos excipio, quos infra honoris causâ nominabo) homines esse ac fuisse, aut novitatibus addictos, aut hæresis Iansenianæ certissimos Fautores, cùdemque fortè infectos; sed potissimum constat, plures eorum, ne dicam fermè omnes, malevolentissimo ac amaro nimis animo in Societatem Iesu, ejusque Authores affectos fuisse, & hanc de sequendâ opinione probabili, tutiore relicta, sententiam, tanquam crimen intolerabile, & doctrinam animis Christianorum perniciosa, in opprobrium Ordinis, in ejus authoribus ubique obviam, & quasi propriam, ut caput accusationis non infinitum

## AD LECTOREM.

mum protulisse. Atque utinam aut cādem , aut non multūm inferiore animositate & malevolentia, quæftionis caſa hodie apud multos non conservaretur, & propagaretur in audientium animis ! Verūm oppositum ejus, quod cupio , nimis apertum est in oculis eorum , qui sincero animo quæ per mundum in hāc materia geruntur , circumſpiciunt.

Cæterum omnes haſtenus enumerati , aut Iansenistæ , aut Iansenismo , aut novitatibus adducti fuerunt , aut certe tumultariè ex paſſione vehementi ſententiam ſuam dixerunt : Verūm præter eos fuere nonnulli ex nuperis authoribus , ab omni iſtiusmodi nota alieni , viri undequaque Catholici , bonæque intentionis , qui contra communem ſententiam opinati ſunt. Inprimis præter Paulum Comitolum , ex Societate I E S U , Candidus Philalethus docuit , nemini licitum eſſe ſequi opinionem minūs probabilem contratutiorem ſimulque probabilitorem. Verūm neuter illorum arbitratus eſt , certitudinem ſemper requiri ad fundandam honestatem electionis , cūm uterque ex professo doceat , majorem probabilitatem ad conſcientiam rite formandam ſufficere. Ex ordine S. Dominici Iulius Mercorus , Inquisitor Mantuanus , opusculum edidit , in quo communem aliorum ſententiam impugnat. Hic vir , utpote Theologus & Canonum non imperitus , præ aliis omnibus , quos viderim , nervosè promovet ſuum intentum : Collegit enim in unum , quicquid alii contra ſecuritatem ſectandi ſententiam probabilem , ſparſim dixerant , multumque ex proprio ingenio magnâ cum modeſtiâ adjicit : virum hunc tum propter modeſtiā , tum propter doctrinam veneror , illumque honoris caſā , ſicut & lequentes nominatos volo.

Præter Iulium Mercorum , duo alii ex ordine S. Dominici prodiere , nempe Gonet & Baronus , qui minūs probabilium uſum impugnarunt. His adjungi poſſunt Thomas de Afflito , & Philippus Faber , quos Caramuel in Apologemate contra communem ſententiam citat. Duo etiam Iurisconsulti , Antonius Merenda & Proſper Fagnanus in uſu minūs probabilium impugnando multi ſunt. Verūm horum autoritas , cūm non admodum verſati ſint in Theologicis ( & Fagnanus quidem de ſe iplo hoc expreſſe reſtatur ) in præſenti quæſtione minoris facienda eſt , quia quæſtio iſta ad jus naturæ pertinet , quæ proinde ex Theologia magis , quam ex Canonum peritiā determinari debet. Sinichius etiam Doctor Lovaniensis ardentī nimis Calamo , lictum probabilem in ſuo Saile Ex-Rege inſectatus eſt. Horum argumenta latè examinavi , ac aperte confutavi in tractatu , quem anno 1669. ( ut fert titulus impressionis , quamvis liber verè prodierit ſub finem Auguſti anno 1668. ) de Conſcientia probabili Leodii imprimendum curavi , in quo pluribus in locis , potiſſimè verò quæſtione 22. oſtendo , paucos iſtos plurimum inter ſe diſcrepare in iſpa ſubſtantia quæſtioni , neminemque illorum impugnasse communem ſententiam in ſenu proprio , ab illius Autoribus intento. Præterea ibidem demonſtravi , neminem ex illis ( præter Sinichium hac in quæſtione aperte ſibi contradicentem ) re iſpa à communi ſententia diſcrepare , ſed ab illo in modo tantūm loquendi recedere. Demum in toto illo tractatu oſtendi , Adverſatorum argumenta non infirmare , ſed communem opinionem efficaciter conſirmare.

Sub idem tempus , eodem ſcilicet anno 1669. Martinus de Eſparza Appendix ad quæſtionem de licito Probabilem uſu Romæ edidit , in quo ex professo omnia Adverſario-rum argumenta examinat , eorumque nullitatem plenissimè demonſtrat. Nec alii ubique Gentium defuere , qui in aciem deſcenderunt , antiquāque , atque aliorum omnium unanimem ſententiam , peculiaribus tractatibus , contra novos iſtos homines ſummā laude , manuque prævalidā tutati ſunt. His demum factum eſt , ut veritas etiam Adverſariis iſpis denuo paulatim illuxerit. Nam poſt annum 1669. quo Appendix Eſparzæ , Tractatusque meus per Orbem Christianum divulgati fuerunt , clamores priſini per Belgiūm , Galliamque maxima ex parte ceſſaverunt ; vix enim ex Doctoribus Catholici Nominis quisquam inventus eſt , ( præter unum Vincentium Baronum , qui non ita pridem utrumque noſtrum ſatis fuſe , ſed irrito prorsū Conatu , ut ſuo tempore ac loco Deo date ostendat impugnat ) qui aut scriptis , aut Thesibus editis antiquam communemque

## PRÆFATIO AD LECTOREM.

que doctrinam in dubium revocârit ; cùm antea quotidie fermè Theses , aut censuræ , vel etiam opuscula contra communem sententiam prodirent , quibus illa non solum apud studiosos Adolescentes , sed etiam apud imperitum vulgus , ipsasque etiam fâminas , tanquam animabus perniciosa , & præ nimiâ laxitate haud ferenda audiebat .

Verùm , post veritatem clarè expositam , post æquivocationes Adversariorum detectas , post omnia eorum argumenta non tantum soluta , sed etiam falsitatis ac nullitatis convicta , immo & in illos ipsos efficaciter retorta , pax antiqua redire cœpit , & fortassis jam planè rediisset , nisi ex eâ mundi parte , ex quâ nil ejusmodi timebatur , antiquum bellum retruduissest . Quidam enim , natione Hispanus , omnium nationis suæ præstansissimorum Theologorum vestigia deserens , sub nomine Antonii Celladei , anno 1670. librum edidit Lugduni , in quo majori , quâm alii omnes , vehementiâ in communem sententiam consurgit ; sed re verâ nil momenti contra eam objicit , nisi quod alii diu ante objecerant , quodque fusè ab Elparza in Appendix , & à me in Tractatu de Conscientia probabili solutum confutatumque erat ; unde si Auctor iste Appendicem Esperzæ , meumque Tractatum legisset , aut editionem operis lui prorsùs omisisset , aut illud extotto variare debuisset , cùm ea , in quibus potissimum fundatur , ab utroque nostrûm directè explicata , efficaciter soluta , falsitatisque convicta sint .

Cæterum , cùm opus Celladei prodierit , manibusque legentium teratur , necessarium duxi , singula , quæ habet , hoc Tractatu examinare , eorumque insufficientiam ostendere , æquivocationes Autoris hujus aperire , ejusque inconsequentias , atque contradictiones notare , ut sic , omnibus ritè persensis , Lectori veritas victrice tandem appareat , & communis verissimaque opinio , ut olim , sic etiam jam iterum & in posterum cum conscientiarum pace postliminiò restituta vigeat . Hic est præsentis laboris mei scopus , quem Lectori indicandum censui . Cæterum , plura de Celladeo hîc non præfabor , sed quæ ad consilium ejus refutationem in me suscipiendi , atque ad alia hisce similia pertinent , in quæstionem primam , tanquam in locum oportuniorem rejiciam . Interim , Lector benevolē , fruere labore meo ; & si quid in eo approbatione dignum repereris , id omnium bonorum Lagitori Deo , à quo solo est , tribue ; si verò quid mancum & defectuosum (& multa invenies ejusmodi ) se prodiderit , id meum agnosco , illudque emendare , retractare , corriger , imo & condemnare paratus sum , si à Te , vel alio quovis meis mihi error indicatus fuerit : maximè vero si quidquam à summo Ecclesiæ Pastore , vel ab iis , quos ipse pro privatorum hominum doctrinis dijudicandis sibi substituit , improbatum ullo unquam tempore fuerit , id ego ex nunc improbo , eademque notâ rejicio , condemnoque , quâ illud ab illis unquam rejici , ac condemnari contigerit . Me enim , omniaque mea Ecclesiæ Catholicae Apostolicæ Romanae correctioni , ac censuræ ex animo sincere submitto .

R. P. AN-